

cuius quidem littere perlectionem, dictus Hinricus, ut exinde publicum conficerem instrumentum, me notarium subscriptum debita cum instancia requisivit. Acta fuerunt hec in opido Lipczk Merseburgensis diocesis in habitacione venerabilis viri domini Conradi Bock arcium liberalium magistri, sub anno, indictione, pontificatu, die, mensi, hora et loco quibus supra, presentibus ibidem honorabilibus ac discretis viris, domino Iohanne Davidis, presbitero Pomezaniensi ac Hermanno Dortmunde, Martino Specht, Petro Gwiefuer, clericis Wlasdislaviensis, Warmienseis et Sambienis diocesum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Hinricus Engelkonis de Gdantzk, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, predictis littere ostensionem, lectionem, transsumptionem omnibusque aliis et singulis dum sic ut premititur fierent et agerentur, una cum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri, vidi et audivi, et nomine transsumpsi in hanc publicam formam manu propria scribens redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum etc.

25.

Schreiben des Papstes Eugen IV. an die Universität.

[Ferrara, 1438.]

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. 1387 fol. 276.

Anm.: Das Schreiben trägt die Ueberschrift: Responsum domini Eugenii super scripta universitatis studii und schließt sich an eine Bulle Eugen's an welche zu Ferrara am 9. April (V. id. apr.) 1438, dem Eröffnungstage der Unionssynode daselbst ausgestellt ist. S. Hefele, Conciliengeschichte 7, 673, 74.

Dilectis filiis rectori, magistris, doctoribus et universitati studii Lipczensis.

Per ea que nobis prudenter et accurate exposuistis, studium atque diligenciam venerabilium fratrum et dilectorum filiorum sacri Romani imperii electorum ad extinguendum exortas in dei ecclesia dissensiones tutandumque ipsius pacem et unitatem, plene intelligimus plurimumque commendamus propter que apostolica sedes preter divinam mercedem pronior efficitur ad retribucionem condignam, et quoniam ex hiis que exposuistis illud videbatur eis patissimum ad pacem conferre, ut in alium locum pro ycomenico concilio consentire dignaremur, idem a nobis fieri eorum nomine cum instancia petivistis, ad quod profecto cicius et specialius dedissemus responsum, nisi carissimi in Christo filii nostri Alberti regis Romanorum illustris aliorumque regum et principum Christianorum oratores in dies expectarem, quorum concilia in hac re hoc presertim tempore pretermittenda non sunt. Verum quia nobis et aliis multis hec expectacio videtur quod maiores possint difficultates rebus agendis inferre, respondendum